

**De Cartesianae philosophiae efficacia in mutanda artis medicae indole /  
[Anton Mohrmann].**

**Contributors**

Mohrmann, Anton.  
Reil, Johann Christian, 1759-1813.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halle : Trampe, 1797.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g8u3jej6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

5-3050

*Mohrman*

---

A

XXX  
VI

18/  
m



36994/p

A xxxvi

18/m



53050

36994/P

*Ch. Bavel*

DE  
CARTESIANA E  
PHILOSOPHIAE EFFICACIA  
IN MUTANDA  
ARTIS MEDICAE INDOLE,

---

CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE HALENSIS,  
PRAESIDE

VIRO ILLUSTRİ, EXCELLENTISSIMO,  
JOANNE CHRISTIANO REIL,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT.,  
PROF. THERAP. PUBL. ORDINAR., DIRECT.  
INSTITUT. CLINIC., ACADEM. IMPERIAL.  
NAT. CURIOS. SODALI,

UT  
DOCTORIS MEDICI  
GRADUM ET IMMUNITATES

LEGITIMO MODO OBTINEAT,  
DIE XV. JUL. MDCCXCVII.

PUBLICICE DISPUTABIT  
ANTONIUS MOHRMANN,

GUESTPHALUS,  
SOC. SYDENHAM. SODALIS.

---

HALAE,  
TYPIS TRAMPIANIS,

1797.



THE  
FIVE  
OF THE  
IN THE  
THE MEDICAL

THE  
THE  
THE  
THE

THE  
THE  
THE  
THE



THE  
THE  
THE  
THE

THE  
THE  
THE  
THE

THE  
THE  
THE  
THE



V I R O

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

JOANNI FRIDERICO  
LOHMANN,

MEDICINAE DOCTORI,

SOCIETAT. SYDENHAM. CORRESPOND.

SODALI,

AMICITIAE TESSERAM HANC

EXHIBET

AUCTOR.

V. 110

EXCERPTA HISTORICA, GEOGRAPHICA, ET LINGVISTICA

JOHANNI FRIEDRICO

LOHMANN

MEDICINAE DOCTOR

BOSSWORTH, LECTURUS ANATOMIAE

1794

AMICIS ET THERAPIAE

1794

ALTONA



---

D E  
CARTESIANAE PHILOSOPHIAE  
EFFICACIA IN MUTANDA ARTE  
MEDICA.

---

I.

Cartesianae philosophiae origines.

1.

Fuit ea a pristinis inde temporibus artis nostrae fors, ut a quovis fere recens invento systemate philosophico innovaretur, atque ita seculi genio congrua redderetur. Physiologia enim Graecorum antiquissima in philosophorum scholis efficta fuit. . HIPPOCRATI, simplicitatem naturae iterum in artem medicam introducenti suppar aetate fere fuit SOCRATES, qui e coelo sapientiam vocavit, atque in hominum consortium introduxit. . PLATONIS dogmata magnopere mutaverunt formam systematum medicorum. Ex stoicorum scholis manavit doctrina de

A

pneu-



pneumate in Alexandrinorum medicorum physiologiam: ex Democriti et Epicuri commentis deducenda est methodicorum secta. Sceptici occasionem praebuerunt ut empirica schola stabiliretur. Ita seculo decimo sexto cum cabbalistica theosophia philosophorum scholas conturbasset, medici quoque huic theosophiae infudarunt, unde Paracelsica secta originem habuit.

Nostreis denique temporibus, ex quo tempore experimentalis methodus a BACONE Verulamio et Petro GASSENDIO magis magisque exulta fuit, medicorum scholae veterum quoque morem, experientiae magis fidere quam commentis, quae hypotheses vocantur, imitati sunt. Simili quoque ratione critica philosophia suos habet jamjam adflectas inter artis nostrae professores, expectandumque, varias inde productas iri mutationes systematum nostrorum.

## 2.

Si quis vero quaestionem moveret, damne plus seu emolumentum ex connubio philosophiae



sophiae cum arte nostra in hanc ipsam manaverit, historia respondet, fatius fuisse, si medici semper ita rationem cum observationibus conjunxissent, ut nec has post illam, sed illam post has inventam esse credidissent. Etenim contrarius fere est modus, quo philosophi ratiocinari solent, ei quem sibi legunt medici: illi enim ab animi notionibus incipientes progrediuntur ad ea, quae experientia docet, atque non raro ratiocinia sua putant lapidem lydium experientiae. Medici vero, qui artis suae objecta esse corpora sub sensus cadentia sibi persuaferunt, a compositis atque iis rebus, quae sensibus exploratae sunt, ordiētes, ad ea judicia transgrediuntur, quibus simplex abstractaque indoles naturae exponitur. Quodsi itaque commentis nimis inhaerentes medici philosophicam methodum excolere sibi sumunt, neglectis observationibus, inutilis est ipsorum gloria, neque ea proferunt, quae scientiae augmenta addere, sed quae malefactorum existimationem promovere possunt.



Nihil enim meo arbitrio facilius, nullum officium itaque vilius, quam commentorum variorum philosophicorum ad artem medicam applicatio, atque informatio systematicae methodi juxta ratiocinia quaedam, quae mutuo medici acceperunt e scholis philosophorum. Quivis vel usu maxime expertus tiro talia condere potest systemata, dummodo genio suo indulget, atque acumine ingenii pollet. Usus autem et experientia diuturna cum intellectus facultatibus fere omnibus rite exornatis requiruntur ad bonas observationes stabiliendas. Hinc subtilium quaestionum de rebus latentibus auctores metuerunt semper medicos usu conspicuos aut cognitione factorum artis nostrae claros; metuerunt doctrinam atque lectionem assiduam optimorum auctorum, umbratili vita pallescentes, suisque incubantes argumentationibus. Quam insignia autem damna manaverint ex veterum philosophicorum dogmatum introductione in artem medicam, cum jam ab aliis egregie monstratum sit, equidem  
sub-



subsistam hic loci in signandis atque paullo uberiorius delineandis dogmatibus CARTESII, quae memorabilem quamdam efficaciam in producendis artis nostrae vicissitudinibus exhibuerunt. Luculenter autem inde patebit, quid fructus aut noxae expectandum sit ex connubio hoc medicinae cum philosophia.

## 4.

Priusquam autem ipsum adgrediar CARTE-  
SII systema physicum, quod tantas excitavit seculo praeterito lites, tantaque jurgia; parum amplius libet in pristinorum temporum conditionem, scholarumque et philosophicarum et medicarum quae Cartesium praecesserant, indolem exspatiari.

Dominabatur ad CARTESII usque aetatem *scholastica* doctrina, quae seculo undecimo ad decimum tertium usque ab *Alexandro HALE-  
LESIO, Guilielmo PARISIENSI, Alberto MAG-  
NO, Thoma AQUINATE* aliisque stabilita, in eo tantum versabatur, ut quaestiones subtilissimae cum argumentis contrariis ex utraque parte argutissime examinaret, neque argumentorum



rum momentum unquam consideraret, sed formarum solummodo fuatarum applicationem. Finis itaque hujus philosophiae haudquaquam complectebatur novarum rerum inventionem, sed adfertorum jam demonstratorum syllogisticam tractationem, ut vel evincerentur argutissima contrariorum argumentorum coagmentatione vel refutarentur. Experientiae ipsius atque observationum imperium, imo physices atque matheseos studium fusque deque habebantur: unice auctoritati librorum symbolicorum, quos ecclesia approbaverat, auctoritati GALENI, ARISTOTELIS, *Joannis* DAMASCENI, AVICENNAE aliorumque veterum fidebant, neque elegantem curabant scribendi et loquendi rationem, neque augendam observationum et experientiarum copiam, neque certitudini ulli vel empiricae vel historicae studebant, nisi ei, quam ex dialecticis suis argutiis prolicere sperabant.

## 5.

Quandoquidem negari non possit, acutissimas notionum animi finitiones a Scholasticis  
in-



interdum egregie fuisse effectas, quibus cautissime solvi poterant, atque examinari iudicia veterum ex observationibus derivata; praepostere tamen haec finitio instituta fuit, antequam sufficiens observationum copia collecta esset. Veteres enim, praecipue Graeci, (Hippocrate, Aristotele, et Empiricis exceptis,) identidem ratiociniis plus infudaverunt quam observationibus: parca itaque haec experientiarum suppellex augmentis quamplurimis indigebat, quae tandem pluribus elapsis seculis addita sunt.

## 6.

Interea seculo decimo quinto studium Graecarum literarum et Graecorum auctorum restitutum saluberrimos produxit effectus in excitandis ingeniis, ut nova molirentur atque systemata reformarent. Reformandi ardor et desiderium omnium philosophorum, theologorum medicorumque scholas invasit. Neque tamen sana semper ratio reformatores duxit, sed omnia innovandi studium saepius in labyrinthos seduxit, ex quibus nullus patuit exitus. Hinc PARACELSICA schola



la ex Cabbalae applicatione exorta fuit: hinc REUCHLINI et AGRIPPÆ a Nettesheim infanae opiniones.

## 7.

Jamdiu quoque ante Cartesium matheseos studium solertius excultum plurimos acquisivit amatores, qui mechanico modo mutationes corporum exponere conabantur, qui e materialibus corpusculis individuís omnia progenita fuisse statuebant, neglectis causis omnibus, quae ultra sensualem rerum orbem adfumebantur. *Thomas* HOBBIUS enim, qui, BACONIS VERULAMII et GALILEI amicus, ab illo odium contra scholasticae sapientiae farraginem, ab hoc vero solertissimum matheseos studium hausit, jam ante CARTESIUM materialismum ita defendit, ut nullam actionem statueret praeter motum, nullam substantiam, praeter corpus: spiritibus enim tribui debere extensionem aequo jure ac corporibus: sensationem nil complecti praeter motum quemdam internum partium sentientium, qui cum continetur aut denuo a stimulis internis suscitetur, imaginationem constituat



stituat et memoriam. Ita voluntatis actiones ex actionibus spirituum animalium vel impeditis vel adauctis exponere ausus est.

Alius philosophus, qui CARTESIO viam munivit, qua summam gloriam reformatae philosophiae obtinuit, *Petrus GASSENDUS* fuit, qui *PEIRESCII* aemulatione naturae ipsius adyta perscrutari, et *MERSENNI* exemplo coactus, matheseos studium cum philosophia conjungere conatus est. Ad Epicuri individua corpora hic refugit, ut animum omnem e rerum universo relegaret, atque ex atomorum figura et motu sensationes omnes et animi vires exponeret.

## 8.

Horum tandem vestigia secutus est *Rena-*  
*tus CARTESIUS*, Haga-Thuronus, natus 1596,  
patre nobili curiae Bretonicae praefide. Li-  
bertas ingenii atque peculiaris plane philoso-  
phiae studium, quo inclaruit, inde potissi-  
mum derivantur, quod valetudine sat infirma  
laborans puer jam quasi ludendo didicerit ru-  
dimenta scientiarum, postmodum quoque,  
cum



cum apud fratres societatis Jesu, Flecii educaretur, huic valetudini semper parceretur, neque ipse dialecticis argutiis diu immorari cogeretur. A. MERSENNO haufit indefessum mathefeos amorem, cujus ope debellavit scholasticam dialecticen: ab abstractis enim speculationibus tali ratione avocatus adfuevit methodo, nil sibi cogitari posse absque imagine. Neoburgi ad Danubium 1619, obsidiarius miles per hyemem commorans, absque ullo cum eruditis commercio; in se ipsum plane rediit, vir imaginatione multo plus vicens quam intellectu et lectione majorum suorum. Ab omni enthusiasmo haudquaquam liber, cum ipsis fratribus roseae crucis consuetudinem iniit, revelata sibi esse mysteria naturae credidit, peregrinationem ad Laurettum spondit, si votorum potiretur,

## 9.

Hinc quoque universam magis philosophiam obiter dijudicare quam singulas ejus partes rite cognoscere atque tum lectione adfida tum experientia sua augere potuit. Dif-  
fere-



ferebant eatenus reformatores hujus seculi, **CARTESIUS** et **BACO** a Scholasticis, ut hi speciales et maxime singulares tantum partes doctrinae excolerent, illi vero generali quasi adpectu dominarentur toti scientiarum imperium.

Multa vero dogmata ita protulit ingeniosus vir, ut auxilii loco infervirent, priusquam naturae adyta penitus cognovisset: neque tanquam certa atque explorata, velut ex tripode ea declaravit 1). Adseclae vero ejus ita inhaeserunt his commentis, ut verissima ea haberent, atque haudquaquam falli potuisse scholae auctorem perhiberent. Quod autem methodum suam attinet, **CARTESIUS** miraquadam arrogantia contendit, rationes ipsius tales esse, ut ullam viam humano ingenio non patere putaverit, per quam meliores inveniri usquam possint 2).

1) Princip. philosoph. p. III. §. 46. p. 52. (ed. Frst. Moen. 4. 1692.

2) Dedicat. ad Sorbon.



Physica dogmata CARTESII, physiologiae  
ipsius fundamenta.

Uti ordine progrediamur, primo exponenda sunt ea Cartesii dogmata, quae physicae scientiae continent rationes atque physiologiae condendae praeberunt occasionem. His rite perspectis luculenter patebit ratio atque indoles doctrinae ipsius de corporis humani functionibus et morbis.

Et primum fere adfertur, a quo profiscitur omnis haec mechanica Cartesii doctrina, complectitur differentiam spatii et corporis. Differre enim arbitrabatur et contendebat, non re ipsa, sed modo tantum, quo a nobis concipi solent. Revera enim extensio in longum, latum et profundum, quae spatium constituat, eandem plane esse cum illa, quae corpus stabiliat 3). Cum autem ex hoc solo, quod corpus sit extensum in longum, latum et profundum, recte concludatur, illud esse substantiam, hoc valet etiam de spatio: ideo-

2) CARTES. princip. philos. P. II. §. 10. p. 22.



ideoque vacuum ullum adesse, in quo nulla sit substantia, negandum atque pernegandum 4). Hinc etiam, si quae adsint materiae particulae, quas atomos vocare liceat, has vere indivisibiles non esse, sequitur ex ipsa corporis definitione. Quod cum extensum sit, necesse est, ut dividi etiam possit 5). Materies itaque potest in infinitum dividi 6). His quidem adfertis differentiam essentialem Cartesius constituit inter Gassendianam et suam philosophiam.

## 11.

Cum essentia materiae sola sit extensio, ceteraeque ejus qualitates tanquam modi considerandi veniant, motus corporum quoque modus est, seu externa quaedam qualitas, quae internas vires non supponat, sed impulsus a primo motore, Deo nimirum, qui primitus materiae facultatem motricem impertiit 7). Differunt autem corpora a se invicem pro cohaerentiae majori vel minori gradu:

4) *Ib.* §. 16. p. 24.

5) *Ib.* §. 20. p. 26.

6) *Ib.* §. 34. p. 30.

7) *Ib.* §. 36. p. 21.



gradu: hic cum interno motu et proclivitate ad eundem in fluidis, ille cum quiete est junctus, nisi ab externis rebus impulsus contingat 8).

12.

His suppositis Cartesius tandem ad efficientes transgreditur causas, quas finalibus ubique esse praeferendas autumat. Non tantum enim nos debere nobis arrogare, ut divinorum participes consiliorum nos esse putemus, sed materiales causas, quas materiei ipsi largitus sit, rimari nos oportere, ut sapientiam ipsius cognoscamus. Ex forma enim, figura et motibus materiae effectus ipsius posse unice cognosci 9). Antiquatis itaque scholasticarum causis finalibus, (quibus solis inhaerebant, neglectis omnibus propioribus causis), substituit CARTESIUS eas effectuum visibilium rationes, quae a corpusculorum aut materiei ipsius figura et mixtione desumptae multo clarius et magis luculenter videbantur hos explicare effectus, quam suppo-

8) *Ib.* §. 55. p. 37.

9) *Ib.* P. I. §. 28. p. 7.



supposititiae illae qualitates occultae, quibus scholastica scatebat doctrina.

Haec autem sua dogmata de materiei figura atque forma ita protulit CARTESIUS, ut tamquam hypotheses consideraret, atque, etiamsi falsa esse existimentur, satis magnum operae pretium se fecisse sibi videretur, si omnia, quae ex ipsis deducerentur, cum experimentis consentiant 10).

## 13.

Ut naturae legum efficaciam in proposita hypothese ostendat, considerandum esse putat CARTESIUS, illas particulas, in quas totam hujus mundi materiem in initio divisam fuisse supponit, non potuisse quidem protinus ab initio esse sphaericas, quia plures globuli simul juncti spatium continuum non replent; sed cujuscunque figura tunc fuerint, eas non potuisse successu temporis non fieri rotundas, quandoquidem varios habuerint motus circulares. Cum enim in principio satis magna vi motae fuerint, ut aliae  
ab

10) *Ib.* P. III. §. 44. P. 52.



ab aliis sejungerentur, eadem illa vis perseverans haud dubie satis magna etiam fuit, ad earum omnes angulos, dum sibi mutuo postea occurrerunt, atterendos et laevigandos.

Cum autem nullibi spatium vere vacuum esse possit, cumque rotunda illa corpuscula simul juncta perexigua quaedam intervalla circa et inter se relinquunt, necesse est illa intervalla quibusdam aliis materiae subtilissimae ramentis minutissimis impleri, figuras ad ipsa implenda aptas habentibus, easque pro loci occupandi ratione perpetuo mutantibus. Haec ramenta itaque quae ex attritione corpusculorum primi ordinis orta sunt, multo celerius agitantur et rotantur, quam corpuscula ipsa, a quibus detrita sunt, quia per angustas et obliquas vias expulsa sunt<sup>11)</sup>.

## 14.

Jam itaque adfunt duo genera materiae valde diversa, quae duo prima elementa hujus mundi adspectabilis constituunt. Primum est

<sup>11)</sup> *Ib.* §. 47—51. p. 53. 54.



est illius, quae tantam agitationis vim habet, ut aliis corporibus occurrendo, in minutias indefinitae parvitat<sup>is</sup> dividatur et figuras suas ad omnes angulorum ab iis relictorum angustias implendas accommodet. Materies haec primi elementi vortices certos format, atque fluit continuo versus centrum cujusque vorticis ex aliis circumjacentibus vorticibus, per partes ejus polis vicinas <sup>12)</sup>. Alterum genus est ejus materiae, quae divisa est in particulas sphaericas, valde quidem minutas, si cum corporibus sub sensus nostros cadentibus comparentur, sed tamen certae et determinatae quantitatis et divisibiles in alias multo minores. Haec autem elementa secundi ordinis, cum non tanta moveantur celeritate, impediuntur quoque ab elementis primi ordinis, quominus vorticibus moveri possint. Moventur itaque variis modis, quo fit ut sphaerica reddantur omnino haec, corpuscula <sup>13)</sup>.

15.

<sup>12)</sup> *Ib.* §. 69. p. 63.

<sup>13)</sup> *Ib.* §. 87. p. 70.



Particulas deinde corporum terrestrium in tria potissimum genera acutissimum Cartesii ingenium dividit. Quasdam enim existimat in varia quasi brachia divisas, atque hinc inde expansas, tanquam arborum ramos, atque has esse maxime, quae a materie coelesti deorsum expulsaе sibi mutuo adhaereant. Alias vero esse, particulas solidiores, figuraeque non quidem plane globulosae aut cubicae, sed etiam cujus libet ruderi angulosi, atque has, si majusculae sint, infra ceteras vi gravitatis descendere; si autem sint minusculae, manere maioribus immistas, atque occupare intervalla ab ipsis relictas. Alias denique esse oblongas ac ramis destitutas, velut bacillos, atque has prioribus etiam sese interferere, cum satis magna reperiant intervalla atque illis non facile adnectantur 14).

Ex ejusmodi principiis CARTESIUS studet effectus electricitatis, cujus jam aderant vestigia, et magnetismi defendere et exponere, cum vortices primorum elementorum tantum applicandi ipsi viderentur ad phaenomena haec mirabilia.

III.

14) *ib.* P. IV. §. 33. p. 109.



## III.

## P h y s i o l o g i a   i p s i u s .

16.

Mentis humanae simplex et individua atque plane immaterialis natura a CARTESIO primo uberrime et acutissime demonstratur, cum motus omnes atque effectus materiae ex impulsu externo divinae potentiae derivet. (§. 11.) Mentis autem humanae sedes est in cerebro, ubi non solum sentit, et imaginatur sed et intelligit 15). GASSENDI objectio, quod anima, si in cerebro resideat, non possit in toto corpore simul existere, a CARTESIO haudquaquam uberius ventilata atque refutata fuit, quod facilius tamen fieri potuisset, si modo ad externam mentis efficaciam, quae per totum corpus viget, et diversa est a sede ipsius, respexisset. Praesertim vero mens humana inhaeret *conario*, seu glandulae pineali, secundum CARTESII doctrinam, cujus adfert rationem in eo quaerit, quod medium plane locum obtineat inter corpora quadrigemina et ventriculos cerebri, quorum itaque spiritus

B 2

in

15) *ib.* §. 189. p. 159.



in hoc corpusculo confluere debeant. Deinde etiam duplicia esse omnia alia in cerebro, unicam hanc partem esse singularem 16). Bene jam regeffit HUE RIUS, haudquaquam esse unicam hanc partem cerebri, quae simplex sit, sed adesse praeterea septum lucidum, glandulam pituitariam aliasque partes, quae duplices quidem non existant. Inveniri quoque in hac glandula acervulum arenis plenum, [quibus officia animi impediri debeant: deesse denique in variis cadaveribus eandem aut destrui saltem variis morbis. CARTESIUS tamen acriter huic adserto inhaesit, atque variis sectionibus studuit eandem glandulam solertius rimari, naturamque ejus penitus indagare 17).

## 17.

Animales autem functiones, seu ipsas mentis humanae actiones modo fere mechanico explanare conatus est. Objecta enim  
ex-

16) De passionib. anim. P. I. art. 31. p. 12. (ed. cit.).  
CARTES. epist. lib. II. 36. p. 144. 38. pp. 151. 160.  
(ed. Amst. 4. 1668.).

17) Epist. lib. II. ep. 50. p. 196.



externa nervos sensus organorum ita adficiunt ut motus in iis excitent, qui ope nervorum cum cerebro et potissimum cum glandula pineali communicantur. Movetur itaque vario modo glandula pinealis, atque cum hos motus percipit anima, sensatio seu perceptio oritur 18). Propagantur hi motus ad ventriculos cerebri atque ad spiritus ipsis inclusos, unde vestigia oriuntur atque impressiones cerebri, velut plicae chartarum, quae permanent et revocant iterum sensationes et externas et internas 19). Tali itaque modo a spirituum et humorum diversitate, quae nervos et cerebrum adficiunt, animi vires, voluntatem et passionem derivavit, doctrinamque de vestigiis materialibus in cerebro primus stabilivit, quam, cum sine imagine sibi cogitare nihil posset, iconibus etiam expressit. Adfociatio itaque sic dicta idearum pendet a reclusis simul canalibus et vestigiis, quae motus conarii et spirituum imprefferunt.

18.

18) Princip. philos. P. IV. §. 197. p. 164.

19) De homine, §. 72. 73. p. 112. 113. ed. cit.



Nequidquam tamen Cartesius tantum concessit philosophiae corpuscularis auctoribus, ut mentem humanam in solo hoc conarii motu consistere arbitraretur, sed motum hunc adeo diversum effinxit ab animo ipso, ut opificium ab opifice. Ita etiam sensus et motus maxime differre statuit, non quidem nervis ipsis, qui omnino iidem sint et sensibus et motibus inter-vientes, sed ita, ut *sensus* exerceantur ope capillamentorum, ex quibus interior substantia conflatur, et quae mechanico modo mota impressionem cum cerebro communicant, *motus* autem ope spirituum inflatorum in musculos per medullarem nervorum substantiam <sup>20)</sup>. En contrariam plane opinionem de differentia sensus et motus, ei, quam nuper anonymus in REILII promptuario evulgavit! . . . Cogitationem quoque CARTESIUS alio loco ita differre contendit a motu, ut album colorem a nigro <sup>21)</sup>: ut itaque ad corpuscularem philosophiam proxime nusquam accederet.

<sup>20)</sup> Dioptric. c. 4. § 4. p. 56. (ed. ei.)

<sup>21)</sup> Ep. lib. II. 52. p. 204.



## 19.

Quemadmodum Cartesius mentem humanam, velut opificem ob opificio, ab hac machina distinguebat, ita tamen propiores causas et sensuum et motuum in mechanicis rebus, in figura, forma, ratione atque conjunctione particularum quae spiritus constituunt, in variis motibus fibrillarum, e quibus nervi conflantur, et conarii ipsius quaesivit, quod modo in hanc jam in illam partem inclinatur, prout a variorum obsectorum imaginibus adficitur 22). Hinc ad mixtionem humorum assiduo respexit, ut spirituum ex iis secretorum rationem ac indolem inde deduceret: ad viciniam imaginis conario impressae cum iis spiritibus, quae nervos musculorum certorum adficiunt, consilium transtulit, ut voluntarios motus post sensationes abortos explicaret.

## 20.

Reliquarum corporis humani functionum rationes mechanicas itidem dedit nulla vi vitali in censum veniente. Sic somnum derivavit a collapsu canalium, pororum et ventriculo.

22) De hom. §. 77. p. 116. §. 80. p. 120.



culorum cerebri, cum spirituum copia non ea secreta fuerit, quae ad turgorem ventriculorum et canalium requiratur 23).

Coctionem quoque ac digestionem ciborum nil aliud esse, quam separationem subtiliorum particularum chyli a crassioribus et solidioribus, quae remanent, velut subtiliores particulae per foramina cribri transgrediuntur 24). Sanguificationem a fermentatione quadam derivavit, qua fiat, ut chylus in rubrum liquorem mutetur, sicut succus albus uvarum fermentando transit in vini rubri naturam. In hac quidem fermentatione evolvitur ignis similis ei, qui ex conjuncto ferro cum acido nitri aut ex aliis humoribus fermentantibus elicitur. Cujus ignis ope rarefit sanguis, transitque in arterias, quarum diastole, ut et motus cordis efficiuntur tantummodo ab ebulliente sanguine. Itaque in diastole etiam cordis propellitur sanguis et e corde evacuatur, cum valvulae venosae claudantur, arteriosae aperiantur 25). Progre-

gis-

23) *Ib.* §. 101. p. 149.

24) *Ib.* §. 3. p. 4.

25) *Ib.* §. 4. p. 6. — *Epist.* lib. I. 76. p. 262.



gisque adhuc rare fieri autumavit CARTESIUS, ut tandem in naturam spirituum vitalium et animalium transeat, solidiores autem ipsius particulas fecerni per colatoria et vel nutrire corpus vel excerni, vel etiam in venas ipsas cum arteriis cohaerentes transire, ut itaque vera circulatio sanguinis in corpore humano stabiliatur 26).

Inter primos itaque circuli Harvaeani propugnatores summam gloriam meruit CARTESIUS, quod cum nuper jam uberius monstratum sit, sicco pede a me transeundum esse videtur 27).

## 21.

Inficias nemo ibit, ingeniosas has a CARTESIO effectas hypothesen suo praeprimis tempore summi momenti fuisse atque egregium usum praestare debuisse, cum qualitatibus occultis innutriti medici, qui ipsum praecesserant, nihil fere contulerint ad specialem functionum corporis explicationem, sed inertia contemptu digna substituerint in adsumendis hypo-

26) Epist. lib. I. 78. p. 268.

27) DOUGLASSI diff. de circulo Harvacano. Hal. 8. 1797.



hypothesebus, quae formam solam complectebantur, neque ullo modo in materiei diversitate, forma et figura versabantur. CARTESII itaque doctrina id effectum est, ut et mathematica et mechanica dogmata propius ad physiologiam applicata, etiam microscopiis confirmarentur. LEEUWENHOEKII, SWAMMERDAMI aliorumque inquisitiones in figuram et formam globulorum sanguinis aliorumque humorum, in salium, qui sanguinem constituunt, indolem et figuram, CARTESII potissimum philosophia productae sunt.

## 22.

Quodsi autem sine ullo partium studio hanc physiologiam consideraverimus, nil apertius atque manifestius est, quam praecipitans atque praepostera indoles ejusmodi explicationum, quarum praemissa adserta nondum satis constabant, cum ex iis jam varia concludebantur. Hinc etiam, qui CARTESIUM sequebantur, neglecto observationum studio, ipsius hypothesebus solis inhaerebant, atque de motu, figura, forma et mixtione particularum salinarum et oleosarum ea protule-



tulerunt, quae nonnisi figmenta ingenii reputanda sunt. *Sylviana*, imo *Jatromathematica* schola praeteriti seculi ex Cartesii dogmatibus plurimum hausit, ad confirmanda sua dogmata.

---

VI.

Vicissitudines artis nostrae, ex hoc systemate manantes.

23.

Cum CARTESTIUS jam anno 1616 Bredae, et postea 1629 juxta Deventriam diutius commoratus fuisset, in Batavia quoque primos acquisivit amicos novum ipsius systema. Horum primos fere ordines duxit *Henricus RENEERIUS*, philosophiae professor Deventriensis, cujus discipulus fuit *Henricus REGIUS*, qui ab anno 1638 inde medicinam Ultrajecti profitebatur († 1679.). Acerrimus hic atque incautissimus novae philosophiae propugnator eo ardore progressus est, ut nec Cartesio ipsi amplius placere potuerit. Exstant enim variae epistolae ad Regium, quibus Cartesius novo amico indignatur, ipsumque arguit in-

con-



consideratissimae temeritatis 28). Inde forsan exorta est defultorii hominis apostasia: publice enim anno 1645 systemati Cartesiano renunciavit REGIUS: remissiusque postea disputare coepit. Ipsius enim intemperantia Jurgia excitaverat acerrima theologorum Batavorum, praesertim *Gisberti voëtrii*, scholastici professoris in academia Ultrajectina, *Martini schoochii*, professoris Groeningensis, *Jacobi revii* et *Jacobi trigliandri*, professorum Lugdunensium, *Friderici spanhemii* aliorumque ejus farinae, qui non REGIUM solum, sed et ipsum CARTESIUM blasphemiae et atheismi accusaverunt.

Nihilominus plurimis tamen arrisit nova philosophia viris; qui jugi scholastici pertaesi lucem rerum recentem desiderabant, *Jacobo golio*, *Claudio salmasio*, *Hermannro roëllio*, *Ruardo andalae*, *Adriano heereboordo*, *Christophoro wittichio*, *Liberto fromondo*, aliisque professoribus Lugdunensibus et Lovanienfibus.



In Gallia adoptarunt methodum Cartesianam *Claudius* CLERSELERIUS (quem ludificabatur MOLERIUS); *Jacobus* ROALTIUS, maxime vero *Petrus* MICHONUS, abbas BOURDELOTIUS, qui anno 1648. academiam stabilivit, in qua viri docti Cartesianum stabilire et Galenicum systema evertere conabantur. Huic societati praefuit Bourdelotius ad mortem usque, quae 1685 contigit. Edita sunt opera societatis, titulo: „*Conversations de l'academie de Mr. Bourdelot, recueillies par le Sr. Gallois.* 12. „Paris 1675.“ In his quidem physiologia Cartesianae et pathologia, quae a sola globulorum et corpusculorum figura et forma desumebatur, accurate ad artem medicam applicata et experimentis variis confirmata fuit.

Non multo post *Benjaminus* van BROEKHUYSEN, medicus Sylvae Ducis, Cartesianae corpuscula et poros cum oeconomia animali congruos reddere conatus est. Spirituum particulas variis formis et figuris excogitavit, ut passiones inde et morbos exponeret, variisque morbis mederi disceret 29).

Cor.

29) *Broekhuysen* oeconom. corpor. animalis, 8. Novimag. 1672.



*Cornelius* quoque van BONTKOE, cui DECKERO proprie nomen, Sylvii discipulus, chemiam Sylvii cum Cartesianis principiis congruam reddere studuit. Germaniam postea adiens, professor Francofurti ad Viadrum et archiater Electoris Brandenburgici creatur, doctrinam de acido lympham coagulante et de figuris humorum et particularum solidarum confidenter protulit atque per totam Germaniam divulgavit. Morbos omnes derivavit ex acido cum humoribus reliquis connubio, quo oriantur infarctus, et figura particularum mutetur. Succum nerveum spiritibus animalibus substituit, quem salina principia aqua soluta continere contendit. Hinc potus tepidos, theae infusum praeprimis, praedicavit tanquam remedium universale contra omnes morbos. Metu venaesectionis et purgantium remediorum clarus, folis absorbentibus confusus est, ipse quoque huic methodo mortem debuit, cum lapsus ab alto venam secare nollet 30).

26.

- 30) Alle de philosophische, medicinale en chemische Werken van *Corn. van BONTKOE*. 4. Amsterd. 1689. — Grondslag van en nieuw Gebouw van Medicynen en Chirurgie, nieuwelyk ontdekt in het alcali en acidum, 8. Roterd. 1682. — Omwerp van 't oud Gestell der Medicynen. 8. 'sGravenh. 1691. — Abhandlung von dem menschlichen Leben. 8. Budissin. 1685.



Huic successit *Stephanus* **BLANKAART**, medicus Amsteldamensis, qui Cartesianum systema indefesso studio cum arte medica conjungere conatus est. In libro cui titulus: „De „Kartesiaanse Academie, ofte Institutie der „Medicyne, — volgens de Meining van den „Heer Cartesius gebouwt. Amsteld. 8. 1691.“ Cartesii dogmata ad totum artis nostrae ambitum applicare studet. Chylum in sanguinem mutari, ope fermentationis, quam calor producat, qui iterum a fermentatione excitetur. Se enim scire, quod salis tartari solutio diuturna fermentatione in rubrum liquorem versa sit. Existentiam fluidi nervei ejusque secretionem ex variis observationibus, praesertim ex stupore, qui compressos nervos sequitur, ex turgore nervorum ligatorum, ex impulsu magnae sanguinis copiae versus encephalum efficere conatur 31). Nec lympham aliud quid esse, quam fluidum nerveum recurrens. Ex inflatione musculorum ab hoc fluido nerveo motum musculorum et turgorem exponit. Alcalinas particulas sibi fingit solidas, parallelepipedas poris variis perforatas; acidas vero acutas, subulatas, quas, more Cartesii, etiam iconibus illustrat. Quodsi acidum ni-

C 2

mia

31) **BLANKAART'S** Kartesiaanse Acad. Hoofst. VI. p. 38.



mia cōpia in corpus ingeratur, acidas particulas penetrare in poros alcalinorum corpusculorum, eaque ratione oriri solidiores, crassiores et indomabiles humores: hunc esse fontem omnium morborum 32). Hinc attenuantium, diluentium, inepte compositorum faraginem commendat contra plurimos morbos: praefertim vero ea, quae sales acidos neutros reddere valeant.

## 27.

Similem plane viam ingressus est *Heiden-trykus OVERKAMP*, Covordienfis, medicus Harlingenfis, qui in novis sic dictis fundamentis medicinae et chirurgiae 33) praeter alia dogmata a Cartesio mutuo accepta doctrinam ipsius de obstructione vasorum, tanquam vera causa inflammationis, quae a fermentatione impedita et acidi praedominio oriatur, protulit. Digestionem a sola fermentatione congrua humorum variorum digestionis inservientium, et ab eadem fermentatione calorem innatum deduxit.

## 28.

Praeter *BONTEKOEUM* in Germania insignis decus Cartesianae medicinae fuit *Jo. Jac. WALDSCHMIDIUS*, qui medicinam Marburgi ad

32) *Ib.* p. 230

33) *Nieuwe baginselen tot de Genees- en Heelkonst — steunende op de Gronde der Fermentatie, en dese op die van Renatus des Cartes. — Amstel. 8. 1681.*



ad annum 1684 usque profitebatur. Acerri-  
mus hic defensor novi systematis inde putavit  
artem nostram decrevisse magis quam increvis-  
se, quod medici philosophiae verae ignari in-  
sensibilia non curaverint, sed id tantum respe-  
xerint, quod sub sensus cadat. Unde etiam  
medicamenta ea, quae sensibiles evacuant hu-  
mores, in usum venisse, exemplo purgantium,  
quae noxarum multo plus quam emolumentum  
producant. Diaphoretica saltem his purgan-  
tibus longe esse praeferenda, quae heteroge-  
neum sanguini confusum expellant et vitalem  
mixtionem potenter restituant. Praeter mix-  
tionem nullam peculiarem vim vitalem sta-  
tuit, cum in rebus corporeis praeter extensio-  
nem et modos nihil sit 34). Sic etiam doctri-  
nam Cartesii de officio et variis motibus glan-  
dulae pinealis uberrime protulit 35).

29.

Pertinent denique ad eos, qui mascule in  
castris Cartesii arma gesserunt *Theodorus van*  
*CRAANEN*, *BONTEKOEI* successor in aula  
Brandenburgica, 36). *Jo. Abrahamus GEHE-*  
*MA*, qui quoque Berolini praxin exercuit  
(† 1705.)

34) *WALDSCHMIDT* diff. medicus Cartesian. in *Opp.*  
4. Frest. 1695.

35) *Ej.* diff. 28. p. 274.

36) *Opp. omnia*, 4. Antwerp. 1689



(† 1705.) 37), *Gualtherus* CHARLETON, Archiater regis Britanniae 38), *Michael* ETTMÜLLERUS, professor Lipsiensis 39), *Jo. DO-LAEUS*, professor Heidelbergensis 40), cum multis aliis, quos vero singulos recensere et temporis penuria et limitum angustia mihi concessorum prohibent.

30.

Ut itaque brevibus summam vicissitudinum complectantur, quae ex Cartesiano systemate ars nostra passa est, hae fere sunt:

- a. Observationum studium penitus neglectum, cum non iis inhaerent Cartesiani, quae sensibus perceperant, sed quae imaginatio docuerat.
- b. Commentorum effingendorum ardor, quibus nulla experientia substrata erat, quae ex hypothesium Cartesianarum mutatione oriebantur.
- c. Matheseos conjunctio cum medicina, ut haec ad certitudinem non empiricam, sed mathematicam eveheretur. Adserta tamen ratiociniis deducta cum stabilia non essent, aedificium perbellum facile totum quantum  
cor-

37) Zwey und zwanzigjährige Fieberkur, ohne Aderlassen und Purgieren. 4. Berlin 1712.

38) Exercitationes pathologicae. 4. Lond. 1661.

39) Opp. omnia, fol. Lips. 1708.

40) Opp. omnia, fol. Freft. 1703.



corruere debebat. Schola itaque *Jatromathematica* in Cartesii doctrina maximum praeprimis fulcimen reperiēbat.

d. Nil magis nocivum vero, nil perniciosius arti nostrae contingere potuit, quam conubium istud chemiae cum mathesi, quo adfclae Cartesii, qui in Batavia degebant, praeprimis gloriabantur. Alcalinis et acidis humorum particulis singulis suam tribuebant figuram, ex qua explicare omnia fatagebant: hinc aliter curare morbos nesciebant, quam dum ad has salinas particulas, earumque spicula, aristas, poros et alias fictitias qualitates respicerent.

e. Mechanico modo et chemico cum omnia exponerentur, occultae quidem facultates, ad quas Galenicae scholae ignorantia refugerat, obsolescebant; ipsa tamen doctrina de vis vitalis effectibus in morbis, tantopere praedicata ab antiquis medicis, ita simul negligebatur, ut in hydraulica potius machina aut in laboratorio chemico se agere medicus crederet, quam in vivo corpore animali.

*Tanta perniciēs manavit ex opinionum commentis ac ex neglecto observationum studio!*



---

# T H E S E S.

---

1.

Emetica infantibus tutius quam adultis  
et senibus exhibentur.

2.

Signa graviditatis in primis quatuor men-  
sibus dubia sunt.

3.

Scirrhus signis characteristicis caret.

4.

Non datur pathologia chirurgica.

---







